



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 144. Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio sollicitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

affusa recentes incendii flammam extinxit (*).

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

§. CXLIV.

Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio sollicitati.

Nihil interea in promovendo cum Græcis unionis negotio intermissum est. Postquam enim horum Oratores apud Synodi Patres commisso sibi officio defuncti erant, ut supra meminimus, Eugenius ad accelerandam eorum unionem Christophorum Garetonum, quem ab Epistolis habuit, Constantinopolim misit. Verum is non sine magna admiratione comperit, quod Græci mutata animi sententia Synodum Constantinopoli celebrari toto studio contenderent; cum id tamen promissis mutuo initis adversaretur. Igitur Garetonus totam rei seriem ad Synodum perscribit. Nonnulli hanc animi mutabilitatem non tam a spontaneo Græcorum impulsu, quam Pontificis hortatu ortam suspicabantur; cum enim Basileenses tam amplam sibi auctoritatem arrogarent, id ægerrime ferebat Eugenius. Nihilominus Synodi Patres rem edocti

(*) Spondanus ad hunc annum num. 16. subjungit: *Satius fuisset, non inconsulte agere, quam objecta excusare.*

Sæcul. XV. edocti, rursum Delegatos Constantinopolim mittunt Joannem de Ragusio Ordinis Prædicatorum, Henricum Menger Dacretorum Doctorem Canonicum Constantiensem, & Simonem Freiron Auxilianensem Canonicum, Theologiæ Baccalaureum, qui Græcis persuaderent, a pactis Basileæ conventis stare, eo pretiosissimum nomine, quod perfecta unio, ipsius quoque fatentibus Græcis, sperari haud posset, nisi Concilium œcumenicum ex utraque Ecclesia Occidentali, & Orientali congregaretur: Constantinopolitana autem Synodus nunquam vere universalis censebatur, etiamsi interesset Legatus Sedis Apostolicæ, nequaquam tamen illum Ecclesiam Occidentalem repræsentaturum, ac proinde nihil inde fructum secuturum: Basileam autem opportunissimam esse urbem ad Generale Concilium celebrandum, cuius regio esset salubri cœli temperiemæna, pacifica, civitasque omnino libera

§. CXLV.

Græcorum consensus de Synodo in Occidente celebranda.

Propositis hisce Deputatorum Synodaliū rationibus demum conclusum est, Synodum in Occidente celebrandam ad quam Græcorum Imperator & Patriarcha

*Concil. Basil
App. I. art.
37. 38. 39.
pag. 851. &
seq.*